



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KOFORIDUANA\*** DE DIOECESI ACCRAËNSI,

CUIUS AMBITUS GANENSI REGIONE

CONTINETUR, CUI NOMEN «EASTERN», QUADAM PORTIONE

DEDUCTA, NOVA DIOECESIS CONDITUR NOMINE **KOFORIDUANA** Quod iusta quidem de causa

nuper ii, quorum interest, id petiverunt ab Apostolica hac Sede, ut in Ganensi Regione, cui nomen vulgo est « Eastern », nova dioecesis institueretur, Nos, qui pro viribus spiritale omnium Christifidelium bonum ubique inquirimus, eiusmodi postulationi libenter concedimus. Quare, cum constet eandem rem etiam a Venerabili Fratre Abrahamo Kattumana, Archiepiscopo titulo Cebaradesensi et in Gana Nuntio Apostolico, comprobari atque foveri, ex sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quam ad Nos hodie relatam omnino confirmamus ratamque facimus, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute, fore sperantes ut aeternae dominici gregis saluti ita faveamus, haec quae sequuntur decernimus atque iubemus. Exceptis locis « Akwamufie » « Apeguso-Frankadua », « Boso » et « Anuma » vulgo appellatis, quae ipsius civilis Regionis « Eastern » sunt partes, a dioecesi Accraënsi ceteras partes, in eadem quam diximus Regione sitas, distrahimus, iisdemque distractis locis novam Ecclesiam particularem condimus nomine Koforiduanam, Congregationi pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Pariterque statuimus, ut nova Episcopalis Sedes in ipsa urbe Koforidua collocetur ad cathedrale templum D.O.M. in honorem Sancti Georgii ibi extans, utque dioecesis nunc condita ipsi suffraganea sit dioecesi Accraënsi, quae hodie altero Decreto ad gradum Metropolitanae Ecclesiae evehimus. Quae iubentes hic decrevimus, ea curet exsequenda memoratus Venerabilis Frater Abrahamus Kattumana, in Gana Nuntius Apostolicus, cui necessarias et oportunas facultates facimus, data etiam potestate, si usus veniat, rei delegandae alii viro in ecclesiastica dignitate constituto, addito utcumque onere curandi, ut ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione certum verumque peractae rei litterarum exemplum prompte transmittatur. Quod reliquum est, Apostolicas has Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet haud obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nonagesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto decimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

JOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXV (1993), n. 2, pp. 120-121

© Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana